Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

frigus

In anglia quam tum albion tum Britanniam veteres vocavere, Rex henricus solitudinis ac ocii cupidus, alieno magis quam suo iudicio regnum gubernavit. Potens apud eum in primis auditus dux Soffulcie fuit, qui leges pro suo arbitratu et populis et principibus dixit. Sed cum res anglicas apud francos minui cepissent, et iam imperium gallicum in pristinam gloriam emergeret, Dux Eboracensis coactis non parvis copiis, nec paucis stipatus Baronibus, lundonias venit regis consilium mutaturus, atque ut ipse dicebat regis et regni saluti consulturus. Non expectavit eius adventum Soffulcie, sed navigio rapti correpto per themisia flumen saluti sue fuga consulere adorsus est. Sed destinatam quis mortem fugiat? Missi qui eum comprehenderent per compendia itineris cursu eum prevenere, ipsumque mox interceptum in prora navis qua vehebatur obtruncaverunt. Dux quoque Somerseti qui perdita Normannia in angliam remeaverat, potestasque apud regem credebat, in carcerem coniectus est. Nobiles viri quamplures necati, nec sacerdocio perditis parsum est. Fuit quoque et amicus meus Adam Molynes secreti regis signaculi custos et litterarum cultor, amisso capite ~~truncatus~~ iacuit. Nec diu post hec, cum dux Eboracensis domum divertisset, Somerseti princeps e carcere emissus permittente rege gubernare regnum cepit, que res suprime sed cladis causa fuit. Excitatus enim ob eam causam princeps Eboracensis cum maioribus copiis quam prius lundonias properavit. Cumque ei rex obviam venisset cum duce Somerseti ex improviso, putans illum aut verborum lenocinio placare aut regie maiestatis auctoritate deterrere, nichil profecit. Eboracensis enim cum esset longe potentior, invaso rege ut in parte se reciperet, in Somerseti ducem ac eius equitatum irrupit, eundemque mox captum detruncato capite interfecit:

truncatus

De Scocia

Scocia eius insule in qua est anglia, suprema portio est, in aquilone versa, fluminibus haud magnis et monte quodam ab anglia distincta. Hic nos Brumali tempore fuimus, cum sol paulo amplius quam tribus horis terram illuminaret. Jacobus eo tempore regnabat quadratus et nimis crassus, qui cum olim in anglia captus xj annis in custodia fuisset, ac dimissus tandem suscepta ex anglicis coniuge domum reversus plures regulos gladio percussisset, et ipse tandem a suis domesticis interfectus est. Fuit cuius ultio parata, filius eius regnum suscepit. Audieramus nos olim arborem esse in Scocia, que supra ripam fluminis enata fructus produceret anetarum formam tenentes, et eos quidem cum maturitati proximi essent sponte sua decidere, alios in terram, alios in aquam, et in terram deiectos putrescere, in aquam vero demersos mox animatos enatare, sub aquis et in aerem plumis pennisque evestigio evolare. De qua re cum avidius investigarem, didicimus miracula semper remocius fugere, famosamque arborem non in Scocia sed apud Orchades insulas inveniri. Illud tamen nobis in Scocia miraculum presentatum est. Nam pauperes pene nudos ad ecclesias mendicantes acceptis lapidibus elemosine gratia datis letos abiisse conspeximus. Id genus lapidis sive sulphurea sive alia pinguis materia preditum pro ligno quo regio nuda est comburitur:

De hibernia

Hibernia nunc nobis absolvenda est, que parvo a Britannia disiuncta freto, partim libera Scotorum amicicia societateque gaudet, partim anglicano paret imperio. Sed cum nichil dignum memoria per hoc tempus de quo scribimus esse gestum acceperimus, ad res hispanicas festinamus:

Hispania